



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris  
Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

2. Timor Domini Fundamentum aedificij spiritualis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

ponit: *Fides*, inquit, *est prima ad salutem inclinatio*, postquam  
*Timor*, *spes*, *pœnitentia*. *Timor* igitur, non tam Funda-  
 mentum Domus Sapientiæ, quàm Tectum dici debet.

## ARTICULUS II.

TIMOR DOMINI FUNDAMENTUM

*Ædificii Spiritualis.*

**V**ERVM alii quàm plurimi sacræ Architecturæ Ma-  
 gistri, mirabili consensu; immò illi ipsi, quos lau-  
 davi, diversis librorum suorum locis, constantissimè ad-  
 firmant, Domus Sapientiæ Fundamentum esse Timo-  
 rem Domini. Hos ut nominem fideliter, observo.  
 Quod Latinis est *Initium*, Græcis, ἀρχή, Hebræis *rescith*,  
 trifariam exponi ab Interpretibus divini Codicis. I. ut  
 significet primitias Sapientiæ: quod quicumque sapiens  
 incipit, DEO Timorem, ut primum gratum quæ fructum  
 soleat offerre. II. ut indicet, Timorem esse caput, et  
 præcipuam Sapientiam: quem qui non habet, reverentiam  
 nihil sapiat. III. ut idem sit, quod elementum, radix,  
 fundamentum. Nomino igitur imprimis eos, qui In-  
 tium Sapientiæ hoc tertio modo accipiunt, & ædificii  
 spiritualis inchoationem & exordium dicunt esse à Deo  
 Timore, veluti à Fundamento. Quæ est communis SS.  
 Patrum & sacrorum Interpretum explanatio. Imprimis  
 verò S. Augustini libro secundo de Doctrina Christiana  
 cap. VII. Clarissimè etiam S. Bernardus, tractatu de Do-  
 ctina Spiritus-sancti cap. I. *Prima gratia est Timor Domini. Et*  
*Mox, Sine hac gratia prima gratiarum, quæ totius religionis ex-*  
*ordium est, nullum bonum pullulare, vel manare potest. Exordium*  
 vocat.

TIMOR DOM. FUNDAMENTUM. 381

vocat. Quod autem est in Rhetorica exordium, in Architectonica dicitur Fundamentum. Quo vocabulo, ne quis supersit dubitandi locus, utitur antiquissimus Tertullianus, qui initio libri de cultu fœminarum: TIMOR, inquit, FUNDAMENTUM est salutis. *Timendo cavebimus: cavendo salvi erimus. Qui sollicitus est, is verè poterit esse securus.* Quæ loquutio, tanquam Magistri sui, quo titulo honorabat Tertullianum Cyprianus adeò huic placuit, ut libro tertio ad Quirinum cap. xx. eandem usurparit, non sine addito, quod conceptionem nostram promoveret, dicens, esse *Fundamentum & firmamentum spei ac fidei Timorem*; juxta illud: *Initium Sapientiæ Timor Domini: & ut in Sapientia Salomonis dicitur: Initium Sapientiæ metuere DEUM.*

ARTICULUS III.

SIMILITUDINES VARIÆ,

*Quibus persuadetur, Timorem Domini Fundamentum esse Domus Sapientiæ; & posse dici primam Virtutum.*

HÛc facit imprimis comparatio S. S. Augustini & Gregorii, qui, dum conferunt septem dona Spiritus sancti cum septem Beatitudinibus Evangelicis à Christo D. traditis, *Donum Timoris* comparant cum Beatitudine primâ, quæ est Paupertas in Spiritu: *Beati pauperes Spiritu. Timor DEI*, inquit Augustinus. *libro de Serm. D. in Monte, cap. 9. congruit humilibus, de quibus dicitur: Beati pauperes Spiritu: id est, non inflati, non superbi: de quibus Apostolus dicit: Noli altum sapere, sed time; id est, noli extolli, ad Roman. xi. Nec movere debet, quod Timor inter Dona S. Spiritus postremo nominetur loco. Nam sensu D. Gre-*